DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

1644

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS V. FEBRUARII MDCCXXII.

M. GUILLELMO DE MAGNY, DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An adversùs morbos ex animi perturbationibus oriundos aquæ ex ferro minerales?

ANIMI perturbatio totum ex animâ & corpore conflatum hominem, totum ex partibus liquidis ac solidis constans corpus, afficit. An in partes solidas, an in liquidas primùm ab animâ derivetur impressio, Philosophi certant, & adhuc sub Judice lis esto: perturbationis certè quanta vis sit, ex utrisque æstimandum: eaque explicatio inter solidas maximè ex cerebro & corde, inter liquidas ex sanguine repetenda. Cerebrum constat 1°. genere triplici vasorum, arteriis sanguinem advehentibus, venis eundem revehentibus, (utræque potissimùm partem cineream componunt), lymphœductibus; 2°. glandulis ad divaricationem arteriarum, venarum, lymphœductuum sitis; 3°. fibris albis, enatis è commissurâ venarum & arteriarum, maximè partem albam componentibus, quæ sunt & appendices extremæ vasorum sanguiferorum & origines nervorum. Sicut è cerebro nervi prodeunt, quasi in funiculos non intorto fibrarum tramite protensi, menyngibusque tecti quasi vaginâ: ita à corde nascuntur, aut in idem desinunt, basi ampliore, vasa omnia sanguifera, prout recedunt, quasi in apices conicos abeuntia. Nervi è cerebro in partes toto corpore omnes, ascitis tamen creberrimè ramis spinalibus, diffunduntur, ita ut totum corpus pœnè nervosum; pariter è corde vasa sanguifera in omnem totius corporis sensilem partem ita sparguntur, ut non immeritò corpus totum ubique vasculosum dixeris. Sano animali, sua inest & nervis & vasis sanguiferis tensio: nam in sano corpore resectus nervus altè resilit retrò, & corpori suam conciliat firmitudinem: arteriarum venarumque tensio manifesta. Sano animali, sua inest vasis sanguiferis, sua nervis vibratio: nam arteriæ alternâ dilatatione & contractione pulsare ac vibrare deprehenduntur: nervi patiuntur pulsationes arteriarum venarumque in suâ mole perreptantium: atqui prætereà tensio omnium fibrarum manifesta, (totum autem corpus, si liquores eximas, fibrosum), easdem vibrationi cuilibet idoneas, oscillationi habiles, agitationi opportunas facit. Nervi ad sensationem soli, ad motum non soli, sed juvante corde liquorem sanguineum impellente, conferunt. Utrumque & fibrarum tensione ac vibratione, & liquorum impulsu conficitur: omnis enim efficientia, fibrarum ex tensione ac vibratione vel certè nisu ad utramque, liquorum ex fluxu vel nisu ad fluxum, proficiscitur. Tensio ac vibratio fibrarum duplex; alia sana, quæ nullam in partem peccet, sed constet mediocritate haud dubiè variâ in variis temperamentis: alia morbosa, vel excessu vel defectu vitiosa. Ex statu naturali æstimari debet quis, qualis, quantus non-naturalis. Tensio sana permittit vibrationes certâ magnitudine, certâque velocitate, pro ratione causæ vibrantis: quæ si vitientur, continuò morbus aut sensilis aut insensilis. Quantùm quævis perturbatio possit ad tensionem vibrationemque fibrarum immutandam, ausculta experientiæ: spes vigorem conciliat, desperatio mera languorem; audacia robur addit, timor debilitat vires; gaudium alacritatem ac levitatem corpori affert, mœror gravitatem; voluptas titillat, excruciat dolor; desiderio acuitur impetus, fastidio remittitur industria; stupor vires hebetat, μανία accendit; ita conatum excitat, sedata mens compescit nisum; amor ad consecutionem impellit, removet odium: neuter perturbationum status neutrum & animi & corporis statum invehit: ergo magna perturbationum vis in fibras, maximèque in nervos, proindeque in sensationes ac motiones corporis: qualis perturbatio, talis ejusdem efficacia in fibras, in nervos potissimè, in sensationes, in motiones corporeas: ergo perturbatio mediocris conjunctam habet tensionem ac vibrationem moderatam; & aut tensionem sanam, si aberat, facit; aut, si deficiebat, auget; aut, si aderat, fovet; aut, si excedebat, compescit; pariter comparat fibras ad vibrationem sanitati congruam & magnitudine & celeritate; itaque sanitati & conservandæ & restituendæ accommodatissima; sua enim fibris ac nervis necessaria ad valetudinem omnimodam tensio, sua quoque necessaria ad vibrationem habilitas, sua denique necessaria vibratio. Jam ponamus esse fibras ac nervos, quantùm omnimoda sanitas postulat, tensos ac vibratiles: igitur si perturbatio superveniat, quæ eosdem aut rursùs tendat aut contrà relaxet, jam nervi aut nimis tensi, aut nimis laxi evadunt, atque, vibrante eâdem quæ anteà potentiâ, vibrationes fiunt à naturali statu degeneres. Si nervos poneremus esse morbosè tensos ac vibratiles; posset superveniens perturbatio, aut laxos tendere, unde forsan sanitas enasceretur; aut nimis tensos laxare, unde rursùs forsan sanitas; aut laxos iterùm remittere, unde morbus ingravesceret; aut tensos iterùm intendere, unde rursùm morbus recrudesceret: itaque in ægro, si potes, excita perturbationes morbo contrarias, & viam curationi facilem & pronam sternes; sed excita mediocres, ne incidas in Scyllam cupiens vitare Charybdim; excita varias, ne fibræ ab diuturniori situ languescant; excita non subitas, ne raptim ab unâ conditione in contrariam conversa fibra improvisò flictu nimiopere concutiatur; excita non diuturnas, ne morbus aut diversus aut contrarius invehatur; excita jucundas, ne mœrens aut morosus animus suam in corpus transmittat ægritudinem; excita denique honestas, ne, dum vitio sanas corpus, animum vitio contamines.

TENSIO fibrarum ac nervorum nimia, si modum interroges, ex triplici duntaxat capite pendere posse, præternativam conformationem, videtur: 1°. ex violentâ per aliquam sui partem tractione; velut si nervum trahas vel à fine extimo in cutem desinente, ut contingit in vellicatione, inflammatione, tumore, &c. vel à fine intimo intra cranium aut spinam oriundo, ut obvenit cerebro inflammato, concusso, perturbato, &c. vel ex aliquo loco inter fines intermedio, ut accidit in partium internarum tumore, inflammatione, dolore, convulsione, &c. 2°. ex siccitate, namque dum exeunt particulæ madefacientes, interstitiola inter partes solidas interjecta (poros vocant) anteàque liquoribus sustentata occupantibus minuuntur, quoniam corpuscula fibras solidas componentia invicem subsidere coguntur ab eâdem potentiâ quæ soliditatem conciliat; itaque fibræ longitudo minuitur; &, quia fines, quibus utrimque nervus adnectitur, non obsequuntur, evadit tensior; ejusque rei exemplum habemus & in chordis organicis, & in pelle tympanorum: 3°. ex ingurgitatione fibræ per copiosiorem humorem; humore enim intùs opplente vasa dilatantur, fibræ abscedunt ab invicem, ac tantùm minuitur longitudo quantùm crassitudo augetur. His ex causis omnibus nascitur fibrarum rigiditas major, flexilitas minor; ex primâ & secundâ prætereà tenuitas ac durities soliditasque aucta; ex tertiâ denique crassitudo ac mollitudo sive spongiosa indoles. Tensio fibrarum nimia plures habet in excessu suo gradus: sed nimia quævis vibrationem admittit ab eâdem potentiâ ut breviorem ita celeriorem, velocitate brevitatem compensante; unde maxima tensio brevissimas ac celerrimas, infinita infinitè parvas, id est, nullas: si potentia vibrans crescat eâdem ratione quâ tensio, perseverabunt, nisi fibra rumpatur, vibrationes æquabili magnitudine, sed velocitate pariter increscente: atqui, cùm de perturbatione animi agitur, una eademque potentia, quæ tendat, laxet, vibretque fibras, statuenda est, nempe animi in machinam corpoream instituta à Deo sapientissimo, eadem semper, ubique par, sibique constans dominatio; Lex Divina, quæ natura nuncupatur, pari semper efficacitate pollet; proinde licèt animus modò debiliùs modò potentiùs imperare corpori videatur, eadem est semper imperantis autoritas, sed pro vario statu diversa subditi corporis docilitas & obedientia: ergo pro variâ fibrarum conditione varia earumdem vibratio, varia quoque per eas liquorum impulsio. Contraria tensioni laxitas fibrarum nimia, ex duplici duntaxat capite, præter nativam conformationem, pendet: 1°. ex nimiâ tractione, quæ vel particulas fibram componentes penitùs sejunxerit, ita ut nihil cohæreant, nec in mutuos contactus urgeantur à materiâ circumstante, quæ per viam facilem, scilicet per separationis intervalla, excurrens eas suo ambitu non amplius compingat; vel particulas eandem componentes ita semoverit, ut interstitia ampla interjecta longitudinem tamen etiamnum aliquatenus cohærentem valde augeant; ut contingit in luxatione, in vulnere; &c. 2°. ex humefactione, quâ fit ut corpuscula liquida corpusculis fibram texentibus interposita & augeant interstitia inter particulas solidas & longitudinem protendant; quale exemplum & in chordis organicis & in pellibus tympanorum videas. Ex utrâque causâ nascitur fibræ debilitas, flexilitas major, soliditas minor. Nimia laxitas, quæ pariter habet multos in excessu suo gradus, dummodò non sit omnimoda, admittit ab eâdem potentiâ vibrationem & majorem & lentiorem, compensante tarditatem amplitudine; unde maxima longissimas ac tardissimas, infinita infinitè lentas, id est, nullas: si potentia vibrans crescat eâdem ratione quâ laxitas, perseverabunt, nisi fibra omninò solvatur, vibrationes æquabili velocitate, sed magnitudine pariter increscente: at præsenti in re eâdem semper est potentia vibrans. Illud autem diligenter advertisse operæ pretium, fibras, ut tensioni certæ, certæ flexilitati, certæ vibrationi, ita certæ laxitati, certæ rigiditati, certæ quieti, prout magis minusve exagitantur, facillimè consuescere: unde earumdem vel debilitas vel robur, perque eas violentior vel debilior impulsio liquorum, adeoque robur totius corporis in trahendo, ferendo, movendoque pondere. Neque verò perturbationum vim ex solis fibris metiare, sed etiam ex liquoribus aut intra vasa fluentibus, aut intra receptacula asservatis, præsertim ex sanguine: est suus in quolibet homine sanguinis fluxus accuratè sanus, qui vitiosus evadat & excessu & defectu: jam sanguinis fluxum sanum perturbatio immoderata aut accelerat aut retardat, proindeque aliorum humorum è sanguine secretorum: accelerato sanguinis fluxu, continuò pulsus vitiatus, sanguis vehementiùs attritus, nimia perspiratio, unde debilitas, lassitudo, aliquando febris: tardato sanguinis fluxu, continuò pulsus vitiosus, cruor minus comminutus, minor perspiratio, liquor tenuis avolans ac destituens crassiorem, unde pigritia, languor, quandoque febris: idem ferè inde obvenit quod ex otio, quod ex labore; otiosus ex otio fit torpidior, laboriosus ex labore robustior: atqui in partes solidas liquores vim refundunt suam.

UT morbos ab animorum perturbationibus oriundos intelligamus; ponamus, cùm omnia essent in corpore planè sana, supervenisse perturbationem, quæ fibras ac nervos nimiòperè tetenderit: quid obvenit? Ille tensionis excessus non in unâ peculariter fibrâ continetur, sed, perturbatione totum corpus afficiente, divisus, in universam corporis machinam derivatur: nervi nimium tensi, nimis stringunt vasa quibus circumvolvuntur, nimis strangulant fibras carneas quibus circumtorquentur; unde utraque arctata minus dilatantur, minorem alveum pandunt liquori, isque cursu fluit impeditiori. Sed vel nervi, quorum in quâvis perturbatione maxima opera, in eâdem tensione permanent sine ullâ aut parvâ tensionis & laxitatis alternatione; vel cum alternatione tensionis & laxitatis idoneâ, tumque relaxatio naturalem statum tantùm excedet, quantùm tensio, quia in corpore elastico vibrationes reciprocæ sunt sponte suâ æquabiles & magnitudine & celeritate. Si nervi sine idoneâ alternatione retinent jugem tensionem; ut reverà contingit in magnâ animi contentione, in timore, in mœrore, in vehementi circa rem eandem sollicitudine, in κατα λήψει, &c. tùm vasa angustata detinentur, parvæ oscillationes vasorum, liquorum fluxus non modò non adjutus per vasa parum oscillantia sed etiam impeditus per eadem angustata; unde, in visceribus obstructiones, liquores quia non impelluntur pigri, iidem quia non atteruntur crassi, timida & mœsta indoles, ingenii tarditas, μελαγχολία, stupor, pigritia & veternum corporis, temperamentum frigidum, quædam ad vividas animi motiones indocilitas & ἀπάθεια; pulsus & frequens & debilis, ægra respiratio, pauca perspiratio, suppressæ evacuationes usitatæ, compressis visceribus liquores intra receptacula asservati aut prurientes aut erumpentes ingratiis, unde ὑστερικὸν πάθος aut γονόῤῥοια non virulenta, fibrarum siccitas, unde in studiosissimis exsiccatæ menynges, defixa in rem eandem & morosa & cogitabunda mens, avolantibus particulis liquorum tenuibus & destituentibus crassas, humor si quis unquam atrabilarius. Si contra nervi tensi quidem nimium sed idoneè vibratiles fuerint, ut in exultanti lætitiâ, in audaciâ, in irâ, in spe, in voluptate; tùm validior crebriorque ex majori tensione vibratio affert in vasis alternationes promptiores contractionum ac dilatationum validiorum ac crebriorum, fibræ evadunt validiores, sanguis & vehementiùs impellitur & celeriùs fluit & validiùs comminuitur; pulsus crebrior, altior, validior; magna perspiratio; succedunt lassitudo, debilitas, languor; in ipso perturbationis æstu jactatio varia membrorum, mens in varias cogitationes versabilis, calor corporis, ruptio fibrarum in valescente ac perseverante perturbatione, fibrarum siccitas liquoribus copiosis absumptis & relictâ duntaxat quâdam eorum quasi fœce; unde rursùs obstructiones, inflammationes, abcessus; hinc, ex irâ rupta cordis auricula sinistra; pulmo ex clamoris irati impetu dissiliens; decidens ex puerorum vociferatione uvula; subita mors ex gaudio effuso ac subito, ex risu luxuriante, ex nimiâ titillatione; succussio viscerum, variæque titillationes, amor ἐρωτικὸς, furor uterinus, pruritus; in ὑδροφόβοις cerebrum siccius, in μανιακοῖς menynges arefactæ: ergo ex perturbationibus à nimiâ tensione oriundis aliæ languidæ, quæ & paulatim macerant, aliæ vividæ, quæ & citò perimunt. Ponamus contra fibras, anteà in statu sano constitutas, superveniente perturbatione fieri laxiores: ea relaxatio toto corpore propagabitur: nervi laxiores parùm stringunt vasa, parùm fibras carneas; utraque debiliùs contracta latum quidem pandunt liquoribus fluentibus alveum ac minus resistunt, sed, quia eos invalidè promovent, iidem fluunt lentissimè. Atque nervi laxiores, aut vibrantur idoneè sic ut laxationi succedat alterna tensio par, vel non vibrantur idoneè. Si nervi sine alternâ tensione perpetuam servant laxitatem, ut usuvenit in multo languore crebrâque debilitate per carnem mollem flaccidam ac fungosam dignoscendâ; tùm vasa dilatatiora, paucæ ac debiles oscillationes, fluxus liquorum non satis adjutus per vasa, non satis attritus sanguis, hebes iners que temperamentum, obtusi sensus, corpus ad motum segne, frigida temperies; pulsus plenus & exiguus & debilis, mala coctio, vitiosus chylus, malus sanguis, κακοχυμία. aliud μελαγχολιάς genus, stupor. Si nervi cum idoneâ tensionis alternatione laxiores evadunt, ut in corpore molli laxo obeso fœmineo sed tamen aliquatenus sano obtingit; tùm ob reciprocas magnarum dilatationum & contractionum alternationes; pulsus rarus, ingens, fibræ debiles, corpus invalidum; vasorum raræ sed altæ oscillationes, sanguis parùm attritus, ingens in perturbatione tumultus, mens ob nimias succussiones impotens sui, ruptio fibarum facilis, promptæ humorum μετάστασις, συνδεσμῶν, ἀναδεσμὴ παλινδεσμή, mœror, timor, μελαγχολία, κατάῤῥους, faciles morbi. Quid si jam expendamus indolem liquorum in quavis immoderatâ perturbatione? ut à partibus solidis impulsi vehementer, impetum acceptum refundant in fibras, in nervos, in vasa, in viscera, in membranas, in musculos, in omne solidum genus? ut lentè ab iisdem impulsi, easdem debiliter excitent? ut, quia inter utrasque partes viget accuratum æquilibrium, mutuò communicent oscillandi & fluendi vel tarditatem, vel celeritatem, vel impetum, vel debilitatem? Ut æquilibrium stet quidem semper vivâ machinâ, sed in variâ perturbatione varium? Hinc explica 1°. cur ii, qui perturbatione diuturnâ laborant, soleant ægrotare stomacho debili, unde mala innumera: 2°. cur animi contentio, & sollicitudo, &c. macerent corpus: 3°. cur imaginatio tot morbos, & mortem inferat: 4°. cur sensatio vehemens lædat machinam humanam: 5°. cur timor, mœror, sollicitudo aut comparet ad febres malignas, variolosas, morbillosas, petechiales, pestilentes, aut easdem invehat: 6°. cur rustici, qui vitæ quadam negligentiâ perturbationes minus sentiunt, & minus & rarius ægrotent: 7°. cur fatui, temerarii, cæterique honorum, divitiarum, voluptatum acerrimarum incuriosi, cibos copiosos, quos assumunt, ritè concoquant: 8°. quàm indubitatum sit plurimas ex animorum perturbatione ægritudines exoriri: 9°. quàm & ad pietatem sanctè & ad valetudinem medicè præcipiatur, vitari vividas imagines, magnas perturbationes, acerrimas sensationes.

MORBUS ex animi perturbatione oriundus, in fibrarum ac nervorum nimiâ vel tensione vel laxitate, in eorumdem vel auctâ, vel turbatâ, vel imminutâ vibratione, in liquorum nimiâ vel agitatione, vel stagnatione, prima sui rudimenta habet; unde atrocia, varia, innumera συμπτώματα nascuntur. Quæ Medicina nidulantem intimis in medullis morbum expellet? Propter arctam animi & corporis societatem, animo convalescente corpus aut sanabitur, aut curationi aptius evadet; corpore convalescente animus aut curabitur aut sanitati fiet habilior: indubitatum, & perturbatione perseverante morbum non sanari, & perseverante morbo non deesse perturbationem. Medetor itaque & animo & corpori: ab animo, unde prima mali labes, ordire curationem: effice, sit æger hilaris, non sollicitus, non timidus, bonæ fidei plenus; eæ sunt sanitati congruentissimæ animi motiones: cave, ne offendas aspectu, habitu, gestu, sermone: flecte paulatim in contrariam morbo perturbationem: ne imaginationi, sensationi, perturbationi, rectâ fronte obviam ito, sed molliter obsecundando pugna: demissum nimis animum pedetentim erige, ac exultantem deprime: res cogitationi, visui, auditui, olfactui, tactui, gustui varias, jucundas, honestas exhibe, ut varietate mens corpus variè afficiat, & mentem corpus. Afferatur deinde corpori medela: prout è re fuerit, exercitationum, equitationis, rusticationis, venationis, balneationis, saltationis, mutati aëris, vini innocui, &c. varietate conditionem fibrarum ac liquorum malam sensim corrige: hæc prima sunto tentamina: dein morbum invade potentioribus medicaminibus. Sed qualianam ea fuerint? fuge extrema: si adhibeas acria, calefacientia, volatilia, spirituosa, maximo in gradu; nervos aut jam tensos amplius intendes & morbum augebis; aut laxos subitò ac vehementer tendes, & vel morbum morbo expelles vel novum veteri cumulabis: si lenientia, relaxantia, humectantia, mera, raptim voces in usum; nervos aut jam laxos amplius laxabis, aut tensos subitò ac raptim laxando vitiabis: prætereà sunt etiam liquores benignè, si torpent, excitandi; si fervent, compescendi: simul tensio moderata, vibratio congrua fibris, simul liquoribus fluxio mediocris, consilianda: quod per aquas ex ferro minerales commodè consequeris. Eæ scilicet constant & particulis aqueis volubilibus & corpusculis ferreis actuosioribus, dum aqua venas ferreas adhuc aut liquidas aut molles permearet, invicem mixtis: totus ergo aquæ ex ferro mineralis liquor secum trahit vim atque potestatem ex utroque corpore mixtam atque compositam. Aqua; si simpliciter consideretur, habet tenuitatem, liquiditatem, fluiditatem, gravitatem sanguine sano majorem at satis similem: si comparetur, 1°. cum fibris ac nervis, valet ad partes, siccas humectandas, duras molliendas, tensas laxandas, sordidas abluendas, quietas exagitandas, inducendam flexilitatem, corrigendam rigiditatem, poros aperiendos; 2°. cum nostro sanguine; admixtâ crassiori, componet totum liquorem tenuiorem, liquidiorem, fluidiorem; admixta tenuiori quam ipsa sit, evadet totus liquor crassiusculus, minusque liquidus ac fluidus quam sanguis merus fuerat; proindeque induet sanguini morboso indolem sanæ assimilem & proximam; 3°. cum viscositatibus fibras, nervos, viscera, membranas aut extùs oblinentibus aut intùs ingurgitantibus; potest eas paulatim humectare, abradere, detergere, abluere, efferre; sales solvere, acidos emendare, alcalicos temperare, acres lenire, quosvis avehere. Ferrum sapore styptico, πυαλισμὸν mover ac perspirationem: ferreæ in aquis ferrugineis particulæ multæ, globosæ, quoniam aquis volventibus facillimè obsequntur, corpusculis aqueis solidiores, aliquando graviores, actuosiores; unde ab aquis raptatæ, impetuosè irruunt in fibras, eas quatiunt, oscillare cogunt, excutiunt latentem in eis humorem, vasorum tunicas intimas abstergunt, serum tenuiùs & mobiliùs dissipant, compingunt ergo corpuscula fibras componentia, tendunt roborantque fibras; liquores in corpore exagitant, comminuunt, viscidos solvunt, lentos propellunt, crassos attenuant, abradunt si quid oleosum est quod aqua nequeat solvere. Itaque aqua ex ferro mineralis utrâque & aquæ & ferri virtute ad morbos sanandos pollet.

QUODNAM ad quosnam morbos aptum sit medicamen, via duplex potest ostendere, experientia, ratio: & quidem si experientiam atque observationem audiamus; ea felici successu, brevi perspicuoque documento clamat, aquis ex ferro mineralibus opportunè adhibitis aut sanatos omnino aut valde sublevatos morbos a perturbationibus animorum oriundos, si minus quosvis, certè plerosque, nondum inveteratos, nondum desperatos: sic ex nimiâ contentione animi stuporem, ex sollicitudine melancholiam, ex terrore subito πάθος ὑστερικὸν, ex amore utroque venereo pruritum ac furorem uterinum atque χλώρωσιν, ex mœrore diarrhæam, ex irâ maniam, ex tristitiâ debilitatem stomachi & inappetentiam, ex livore obstructionem, &c. oriundos morbos curatos esse cùm ex testibus fidis accepimus, tùm partim vidimus. Præterea multis argumentis approbat experientia, quantùm valeat aqua ex ferro mineralis ad sanandos morbos ex animi perturbatione oriundos: 1°. liquores, qui in diuturnâ quavis perturbatione tandem crassi viscidique evadunt, fieri tenuiores ac fluidiores docet urina copiosa, multa perspiratio, ptyalismus abundans: 2°. humores lentos ac viscosos, qui aut viscera obstruebant aut vasa fibrasque infarciebant, paulatim eliminari, persuadent copiosæ per anum, per vulvam, per nares, per os, evacuationes: 3°. laxari fibras anteà tensas nimioperè, arguit corporis refrigeratio: 4°. easdem laxiores intendi atque oscillare, evincit appetitus auctus, bona coctio, agilitas corporis, mobilitas membrorum, corroboratio. Sed rem eandem testatur manifestissimè ratio: nam sive sint fibræ nimis tensæ, aqua humectando, molliendo, poros subeundo, paulatim longiores & laxiores facit; sive laxæ nimis, eadem exagitando, particulas infarcientes expellendo, permittit ut corpuscula fibram componentia poros minores relinquant, invicemque propius apposita minuant nimiam longitudinem & laxitatem; sive minus oscillent, & molliendo vibrationi habiles, & exagitando vibratiles efficit; sive oscillent nimis, humefaciendo, molliendo, laxando, moderatur nimiam vibrationem: deinde sive nostri liquores sint crassiores, diluit, atterit, fluere ac liquescere cogit; sive nimiò tenuiores, eadem eis commixta paululum facit crassiusculos & liquori sano proximos; sive acres, acidi, alcalici, commixta corriget suâ insipiditate, liquiditate, frigiditate. Et quid verò possit esse ad morbos è perturbationibus oriundos aut planè sanandos aut magnoperè sublevandos aptiùs, quàm illud medicamen, quod congruentissimâ temperie per aqueas ferreasque particulas invicem mixtas ita sit comparatum, ut neque in liquoribus possit nimiam aut tenuitatem aut crassitudinem, fluiditatem aut visciditatem, celeritatem aut tarditatem, rarefactionem aut densitatem creare; neque in partibus solidis nimiam aut tensionem aut laxitatem, vibrationem aut immobilitatem, rigiditatem aut flexilitatem, humiditatem aut siccitatem excitare; sed ita componat, ut & liquores sint sanis aut pares aut proximi, & partes solidæ mediocritate tensionis atque vibrationis acquirant statum aut naturalem aut naturali vicinum; denique ita omnia & nimia moderetur, & deficientia suppleat, ut æquilibrium naturali simile ubique vigeat; atque resarciat quidquid perturbatio ipsa vitiaverat, quidquid vitiatum nascens ex perturbatione morbus aut invenerat aut fecerat?

Ergo adversùs morbos è perturbationibus oriundos aquæ ex ferro minerales.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ægidius Adam.

M. Camillus Falconet, Regiæ utriusque Aulæ Æquestris Medicus ordinarius.

M. Hyacintus-Theodorus Baron.

M. Joannes-Nicolaus de la Hire, Pharmaciæ Professor & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Antonius Geoffroy.

M. Joannes-Franciscus Coutier.

M. Joannes Depiney-Peschard.

M. Philippus Fontaine.

M. Antonius Pepin.

Proponebat Parisiis JOANNES MOULLIN, Ebroïcensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1722. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.